

1
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1675.

1. Alberti, Valentianus: De fortuna clarorum belli ducum,
sub finem militum plerumque adversa.
2. Alberti, Valentianus: De politico
3. Alberti, Valent: De immutabilitate reipublicae.
4. Alberti, Valent: De Frederico forti, sine admisso.
5. Boninus, Jacobus: De expectativis
6. Boninus, Jacobus: De actione in factum pro re-
linenda possessione praesentanea competente.
7. Carpzovius, Aug. Bened.: De iudicio Imperatoris
extraordinario 2 Samml. 1675: 1719.
8. Carpzovius, Aug. Bened.: De restitutione in integrum
minorum.
9. Carpzovius, Aug. Bened.: Analysis l. traditionis
20 l. de pactis
10. Lickler, Johannes Christianus: De emphyteutae meliorationibus
11. Engelmann, Johann Fried: De arte syllogistica

1675

12. Wmullerus, Michael: *Valetu din orinis infantile*
13. Geislerus, Frid.: *De legitimatione*
- 14^{a, b, c} Geislerus, Frid.: *De actione confessoria* - 2 Sept. 1675
1675 - 1745. Accensit. Ed. 1745: *Tributiones*
- Masnerus: *De officio boni, cordati, fidelis, et Christiani ministri*
15. Geislerus, Frid.: *De privilegiis viduarum*
- 16^{a, b, c} Maellus, Frid.: *De injusto Pontis Pilati judicio* 3 Sept. 1675, 1724 - 1737
17. Platz, Abrah. Christoph: *De encomiis bonorum*
18. Reckenberg, Adamus: *De regorum conjunctione*
19. Romanus, Paulus Franciscus: *De jure domini restricto*
20. Romanus, Paulus Franciscus: *De salvo conductu*
21. Sprendendorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: *De privilegio*
22. Sprendendorfferus, Barth. Leonhardus: *De concussione*

1675

23. Schwendendorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De iura-
mento purgatorio
24. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De peculis
25. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De contracta
aestimatoris
26. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De privilegiis
27. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De retentione
28. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De exceptione
non numeratae pecuniae.
29. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: De solutione
30. Tellerus, Romanus: De fundo pluribus promisso cum
explicatione l. quotiens 15 C. de rei vind.
31. Thomarius, Jacobus: De vagantibus scholasticis
32. Zabel, Enochus: De clementia, virtute Imperatoris

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Q. D. B. V.

1675, 2

POLITICUS,

Quem

Inclutæ Facultatis Philosophicæ autoritate,

SUB CURA

VIRI

Admodum Reverendi, Excellentissimiq;

DOMINI

L. VALENTINI ALBERTI

SS. Theologiæ P. P. Extraordinarii, Logicæ
ac Metaphysicæ Ordinarii, & Collegii B. Mariæ
Virginis Collegiati, de omnibus optumè
merentissimi,

Domini Patroni & Præceptoris sui
filiali observantiâ colendi,

sistet

GEORGIUS AUGUSTUS

Görner / Finstervald. Lusatus,
Philos. & J. U. Studiosus

AUTOR & RESP.

d. VIII. Maji, Annò M. DC. LXXV.

Horâ locòqve consvetò.

LIPSIÆ,

Stannò COLERIANO.

1675

re.
mus,
inter
ibus
, qvi
quod
spe-
st his
hoc
alla-
copo.
ncio-
san-
tur,
ram
satis
ege-
ant.
ven-
lege
atur,
ecen-
Sed
r,



Post DEUM
Reverendissimi, Serenissimi, Celsissimiq̄
Principis ac Domini,

DN. CHRISTIANI,

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, E-
piscopatus Martisburgensis Postulati Administrato-
ris, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae ac utri-
usque Lusatiae, Marcae & Ravensburgi Comitis,
Dynastæ in Ravenstein,

Domini mei Clementissimi,

FILIIIS

Serenissimis ac Celsissimis Dominis,

DN. CHRISTIANO,

DN. AUGUSTO,

DN. PHILIPPO,

DN. HEINRICO,

Ducibus Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,
Landgraviis Thuringiae, Marchionibus Misniae ac u-
triusque Lusatiae, Comitibus Marcae & Ravensbur-
gi, Dynastis Ravensteinii,

Dominis meis Clementissimis,

hunc POLITICUM Academicè delineatum

*humillimâ mente ac manu subditus obedien-
tissimus sisto atq̄ offero*

GEORGIUS AUGUSTUS Cörner.



In Nomine Domini nostri Jesu Christi ad omnia
consilia, omnesque actus semper progredimur,
imitati ipsum Imperatorem Justinianum *in l. 2. pr. de
offic. praef. praet. Africa.*

P R A E F A M E N.



Multa dicuntur, quæ non sunt, & multa
sunt, quæ non dicuntur; ceu trito in sermone
proverbio dicitur. Nec hoc inter vulgus tan-
tùm & in communi conversatione, sed & in
Rep. obtinet, in qua probis Viris nonnunquàm
optimã intentione schemate verborum uten-
dum est, ut officio suo utiliter præesse possint.
Hunc in modum ac finem Orator publicus aliquando verba facit,
sic, ut quùm loquatur de humanitate, Tyrannus exprobrari sibi
superbiam haut falso credat: quùm de frugalitate, luxuriam: quùm
de clementia, crudelitatem: quùm de liberalitate, avaritiam:
quùm de benignitate, livorem: quùm de continentia, libidinem:
quùm de labore, inertiam: quùm de fortitudine, timorem: *Plin. in
Panegy.* Optimè se habet horum consilium, etsi non semper fortu-
na; Nam & *Plinius d. l.* periculum hujusmodi Oratoribus immine-
re, obliquè innuit. Longè aliud intendunt illi, qui voces in se inno-
xias atque bonas in hujusmodi significationes inflectunt, ut res
malas significare incipiant. Accidit id vocabulo *Politici* superiori
seculo in Gallia, ubi sic, tanquàm Hypocritæ in Religione, dicti
fuerunt, qui Pontificiam religionem retinebant, sed Lotharingo-
rum partes sequi dedignabantur. Tunc enim, inquit *Thuan. histor.
L. 44. ad A. 1568. p. 830.* primùm *Politici* nomen in odium tractum
in monumentis rerum nostrarum video, in quod postea concio-
nato-

natores grāffante licentiā supra modum debacchati sunt : optimates, pacis, qua religio & publica securitas continentur, studiosos, eo notantes. Nec multum alia in significatione, quæ est observatio Celeberrimi Conringii *Propolit. c. 1. p. 4.* hodie Politici vocantur, omnes versuti & callidi, inque omnem partem mobiles, & tanquam Polypi mutantes colorem, dum modo sibi caveant. Qualem *πλύτροπον* Homerus Ulysem suum descripsit, & Aristophanes in *Ranis* traduxit (per calumniam tamen) Theramerem illum, qui cum in numero esset quadringentorum tyrannorum, verso animo, applicavit se mox populi partibus. Pessimè verò agunt ii, qui sub nominibus, aliàs optimis, res pessimas aliis persuadere ac inculcare nituntur. Inter hos vel primò locò ponendus est à nobis Autor *Hominis Politici*, qui partim, uti in præfatione gloriatur, ex suo ingenio inventa, moribus, actionibus probata, partim ex Jesuitarum placitis, moribus, consiliis, & denique ex Veterum exemplis hausta præcepta ad hominem Politicum fingendum pingendumque collegit, sed *Politicum* revera *sceleratum* expressit: quò titulo in *Refutatione* jure meritoque excipitur. Ego itaque, cum materiam tractationis meæ elegerim Politicum, meorum partium esse putavi, ut putativum quidem & falsum etiam in theatrum producerem, sed Vero statim opponerem, ut opposita juxta se posita elucescerent magis atque dignoscerentur. Quo ipso etiam totam hujus dissertationis *οικονομίαν*, *ὡς ἐν τῷ πρῶτῳ* cognoscis. Omnia verò breviter delineabuntur tantùm, cum plenius ab aliis jam sint deducta, & ex iis non pauca umbram Scholæ vix ferant. In his verò, quæ à me, ductu plurimum Reverendi Dn. Præsidis, adducentur, Tu me JESU, JEHOVA, JÜVA.

THESIS I.

Politicorum, in primis falsorum, esse, ambigüè loqui, vel solius Tiberii exemplo latis constat. Huic enim etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adfuetudine, suspensa semper & obscura verba: cum verò nitebatur, ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. Tacit. *l. 1. Annal. c. XI.* Huic autem facto aut studio Politicorum simile est nomen Politici, & ipsum valde ambiguum, & ab illa æquivocatione ante omnia liberandum.

II, Apud

II. Apud Aristotelem & animal Politicum & homo Politicus l. 1. Polit. c. 2. & hic imprimis passim legitur.

III. Animalia verò, ductu Aristotelis *Histor. anim. l. 1. c. 1.* sunt duplicia, partim Gregalia, Græcè ἀγελαία, ut oves, partim solitaria, Græcè μοναδικὰ, ut bufones. Porò ex illis quædam in commune consulunt, v. g. apes, formicæ, homo, & nominatur Civilia sive πολιτικὰ; reliqua, quia nihil contribuunt, errantia sive ἀποραδικὰ dicuntur. Pertinet autem ex his ad præsentem considerationem solum animal Civile sive Politicum, prout id in homines quidem cadit, sed ab homine Politico accuratis limitibus distinguendū est.

IV. Hominem autem inter animalia civilia locum invenire, tam clarum atque certum est, ut præ reliquis omnibus hunc titulum in excellentissimo gradu mereatur. Dux igitur propositiones à nobis formantur atque defenduntur: Prima nimirum absoluta: Homo est animal Politicum: Secunda comparativa: Homo præ reliquis omnibus animalibus est animal Politicum. In genere enim animal Politicum vel est magis, ut homo, vel minus tale, ut apes &c.

V. Utraque propositio ipsius est Aristotelis. Prima: Postquam enim Civitatem in numero societatum, quæ natura constant, existere ostendisset, ab Abstracto ad Concretum argumentatur, & singulos homines naturaliter ad societatem Civilem ferri demonstrat. Vide *libr. 1. Polit. c. 2. & in h. l. Obert. Giphani. p. 28. 29. 30. 31. & Mich. Piccart. p. 43.* Rationem petit ex repugnantibus, atque ἀπλῶς aut absolute ostendit, Hominem esse animal Politicum. Et sanè naturæ repugnat, si forsan homo societati hominum reluctatur. Immo homo talis quoad dici saltem morali æstimatione homo audit, & ab Aristotele, quando suo ingenio & quasi naturâ, nulla fortunæ vi est ἀπολις, vel infra hominem collocatur, eoque deterior instar bestię censetur, qualis Timon μισάνθρωπος & alii, qui belli cædiumque cupidi, jugi planè omnis impatientes, nullâ communionem sese contineri voluerunt: Vel supra eundem evehitur, homineque melior, & Heros vel Deus terrestris dicitur. Nunquam tamen cum Giphano *d. l. p. 29.* ex Tullio, credo, aliquem, licet omnia ei abundè suppeditent, tanquam virgulta divina in solitudine vivere velle.

*1. Discrimen
inter ani-
mal & ho-
minem Po-
liticum.*

*Theses ab-
solutæ de ho-
mine, ani-
malis Poli-
tico.*

Ratio 2a

A 3

VI. Al.



Ratio 2.

VI. Alteram assertionem, quod videlicet homo non solum Politicum sit animal, sed & magis Politicum, quam ulla gregalia, fundat in ipsissima hominis proprietate. Nam hoc præcipui sermo homini proprius operatur. Pone, quæso, hominem Civile animal non esse, sermonem ei frustra datum largiri necesse habebis. Ecquis enim usus esset sermonis extra communitatem & conversationem? nisi absurdissime naturam aliquid frustra facere statueris. Vocem quidem sonumve etiam reliqua animalia, quo solummodò jucundum & molestum indicant, haut rarò edunt; sermonem verò, qui vim intelligendi præsupponit, ipsis omninò natura negavit. Atque exinde concludo, quod homo non solum jucundum aut molestum, verum insuper & utile & inutile, ac propterea, quæ domino in lucro & damno versantur, justum & injustum colligere possit. Quoniam autem hæc à brutis secerni non possunt, subsumo etiam, obiterque addo, in solos homines jus & injuriam cadere, non bruta, quicquid alii dicant. Ad stipulantes habemus & Jctos & Philosophos, Piccart, ad l. 1. c. 2. Arist. Polit. p. 49. Hugon. Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 1. §. 11. Franzk. ad tit. Inst. pr. de J. N. G. & C. Jo. Frider. Hornium in tr. de subjecto Juris naturalis, per totum. Dissentiunt Dn. Leder. in assert. de Jure bestial. Dn. Bayer in not. ad Schnobel. disp. 1. ad l. 1. ff. de Iustit. & Jur. th. 6. verb. initial. Brutis improprie. aliique passim.

Antithesis
Hobbesii.

VII. Asserto nostro, quò diximus, Hominem esse animal Politicum, turbas nostro tempore movit ingentes, præcipuè in libro de Cive, ubi axioma illud falsissimum pronunciat, ac nimis leviter c. 1. th. 2. naturam humanam nos contemplari accusat, Thomas Hobbes, Anglus, solertissimi aliàs Ingenii Vir. Nervus autem tentiæ ipsius hòc argumentò breviter includi potest: Quicumq; est animal ad dissidia naturâ pronum, ille non est animal Politicum, Atqui Homo etc. E.

VIII. Respondeo verò ad Minorem, distinguendo inter statum Rectum & Corruptum. Rectum quod attinet, sciendum est, in illo optimè sese habuisse & habitura fuisse omnia, indeq; ab omnibus dissidiis alienissimum tunc futurum fuisse hominem semper. Non igitur in hoc, sed corrupto statu tantum minor Hobbesii aliquid roboris habet. Verum enim verò quis normam sumet ab imperfecto, cum adsit perfectum? IX. De-

IX. Deinde nec probatio Hobbesii in statu Legali valet, cum defensio, bellum & mors (quæ mala ille maximoperè urget, tanquam concomitantia exercitium juris ejus, quod unusquisque ad consulendum vitæ ac commoditatibus suis habeat) non per se, sed per accidens tantum eveniant. Ea verò, juxta communem Philosophorum doctrinam, quæ per accidens fiunt, non attenduntur.

X. Cæterum, si totum Hobbesii *librum de Cive* perlegas, omninò in boni felicitatisque sperandæ causis, quas omni ope operaque tollit, Tiresiam, at in mali metusque, quas calamitatum omnigenarum ponit, Lynceum jure meritoque ipsum vocares. Quod judicium de Hobbesii scripto est Cumberlandii in *disquisitione Philosophica de Legibus Naturæ*, c. 1. §. 16. verum non minus ac nervosum; apud quem vide plura. Unde constat, πρῶτον ψεύδος ejus omninò esse, quòd naturalis status mensuram acceperit à Legali, quod contra factum oportebat; ceu prudenter observat Celeber. Dn. Thomasius *Tab. Ethic. Polit. XXXIII. in fine.*

XI. Homo verò Politicus non omnis homo est, sed is tantum, qui habitum Politicæ doctrinæ possidet aut exercet. Hic autem ut in sua bonitate atque perfectione eò clarius cognosci possit, prius, voce latius accepta, volente sic usu, distinguendus est in *Putativum, Falsum & Bonum, sive Verum.* Equidem Politicum, si in se & natura sua spectes, semper esse optimum, in primis ex sententia Meliorum, dubium non est; at si ad Praxin omni omninò ævo oculos flectas, proh DEUM immortalem, in quantum cum voce illa & res ipsa degeneravit! Et hæc est causa, cur triplicem constituamus Politicum.

XII. Primo vero loco nobis obvenit *Politicus putativus*, ex cordatorum sententia sic dictus. Hunc variè variè, præcipuè à forma externa, depingunt. Sicut enim vulgus plerumque, externis rem metitur, interna verò rem afficientia, quia eorum nullam habet scientiam, postponit, haut secus in hoc negotio se gerit, & Politicum, (rectius Civilem) hominem ex urbanitate, comitate etc. præ reliquis judicat, ac pulchri coloris, magnitudinis, irorum aut similitum rationem habet. In primis in oculis ejus excellit is, qui inter saltandum aut equitandum se Virum præstare, Gallos voce vitioque imitari, & vanitatibus aliis quam plurimis onerare magis, quam

II. *Distinctio Politici in Putativum, Falsum & Verum.*

I. *Politicus putativus.*

quàm ornare se aliosque potest. Ut proinde πολιτικὴ fuerit peritia
cultioris illius Vitæ morumque omnium elegantiorum: Con-
ring. de Civ. Prud. c. 1. p. 2. addo: ad seculi captum splendide adcom-
modata. Et hanc definitionem, si statum hodiernum respicias, cot-
tidie in exemplis conspici, luce meridianâ clarius est, resque ipsa
loquitur.

XIII. Ast quantò frequentius talia occurrunt, eò magis illa,
si sapiunt iniquitatem, cane pejus & angue, declinare sana ratio
suadet: Non obstante, quod plurimos habeamus ita sentientes &
facientes, siquidem multitudo errantium non facit jus. Reliqua,
quæ moralem malitiam non involvunt, ut retineamus, ingenia
hominum diversa suadent, quæ sapius eò citius externis hujusmo-
di mediis justè commoventur, commotaque sedantur. Verborum
igitur phaleris uti, ἤθη καὶ πάθη adhibere, aliaque ejus generis,
omnia tamen tempore opportundò, facere, maximam affert utilita-
tem. Quod addisci potest ex Abrah. Marconnet. *Aulico inculpato* &
Euseb. Meisner. *Aulico Politico l. 1. c. 5.* Immò plus largimur & dici-
mus: Qui civilitatem istam non tenet, verè & ἀπλῶς prudens non
est, ideoque nec facile homini agresti, sordido & barbaro res ma-
gni momenti in Rep. gerenda committitur. Hujus rei exemplum
notatu dignum, maximo cum detrimento suo Gallia nobis præbet.
Rex quippe Galliæ, Carolus VIII. Olivarium tonsorem Ganda-
vum, ad Ducis Burgundiæ Caroli filiam ac hæredem Mariam, cum
litteris & mandatis ablegabat, ut privatim Virgini loqueretur, e-
amque ad partes Regis traduceret. Aliquot dies post causam
legationis exponere jubetur. Ille ad Concilium veniens soli Puel-
læ loqui desideravit, immò repulsam passus, hoc tacere magis
magisque institit: donec tandem non absque ludibrio turpiter dis-
cedere, & propter imminens periculum Tornacum profugere co-
actus fuit. Vid. Philip. Cominæi *Comm. l. 2. p. m. 566. 567.* ubi & illud
p. 568. addit, non tam Olivarium, quod munus injunctum susce-
pisset, quàm alios, quod injunxissent, esse reprehendendos: immò
& hoc: [quod propter hodierna tempora atque bella maximè no-
tandum est,] si Rex majori deliberatione fuisset usus, dubium non
esse, quin hodierno die provinciæ illæ omnes penderent ab Impe-
rio Gallico. Contra, Virorum moribus excultorum humanorum-
que

que autoritas in turbis & factionibus reprimendis, in iratis animis sedandis quantum valeat, exempla & veteris & novæ Historiæ probant.

XIV. Hæc verò Civilitas morumque cultura quanta quanta sit, *ὁδαιμονία καὶ ἀντιθέσια* Reip. non attingit, nec propterea ad formandum Politicum sufficit; sed id unicum immediatè spectat, quo nemini sis eorum, quibuscum verferis, molestus, sed potius jucundus: Conring. *de C. P. c. 1. p. 3.* Politicum itaque hujusmodi esse elegantem, civilem, urbanum, *ἀσείον* non nego, verè Politicum autem nequaquam concedo. Ac Politi isti plerumque ea propter politos se gerunt, ut favorem & honorem aliorum alliciant, adeò ut huc quadret locus Aristotelis *l. 1. Nicom. c. 5.* ubi Politicos alios vocat *παραπιδες*, alios *χαρῆνας* seu Civiles. His enim cum loco summi Boni honor sit propositus, id est, cultus & observantia, quæ Magistratibus aut aliis Viris magnæ dignationis tribui solet, (Giphan. *ad d. l.*) ille verò eripi possit, concludit Aristoteles, alterum vitæ genus, quod in d. c. tractatur, esse spurium.

XV. Insuper dum hæc removeo, nemo putet me absolvere *πολυπράγμονας*, qui alienis rebus se implicant, suæque domi propria, quæ habent, non curant, *l. 36. ff. de R. 7.* qualem se olim jactavit Cic. ad Atticū; Giphan. *ad b. Nic. c. 8. p. 491.* aut *πολυτρόπους*, in specie *πολυμήτας*, qui sese in omnes formas commodi privati ergo commutant. Hi enim Politicorum cognomentum non merentur, sed si scapha scapha & ficus ficus dicenda est, sunt Parasiti, Gnathones, Adulatores, quorum sedes ubivis Gentium & in Aulis Principum quoque invenitur. Hujusmodi Politici Exemplar Alcibiades nobis exhibet, cujus ingenium versatile meritò Cornelius Nepos *in vita ejus* admiratur. Idem, cum tempus posceret, *inquit*, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus, non minus in vita quam victu affabilis, blandus, temporibus callidissimè inserviens. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem, tamque diversam naturam. Licet hoc non asseruerim, quod nunquam blanditiis verborum aut morum indulgendum, præcipuè tunc, si quis eò necessitatis compingatur, non ut istiusmodi adu-

B

latio

lationibus, si adulationes dicendæ sunt, utatur contra Remp. aut aliquem Civium, sed tantum, ut vanum Principis animum demulceat. Hoc enim malum jocularium cum Terentio in his casibus omninò tolerandum. Vid. Marcon. & Meisn. *Aulic.* l. 2. c. 7. & c. 12. ubi Principibus illud malum commune, sufflaminaciones puta, blanditias, imposturas & assentationes hominum sceleratorum recitant, qui ut plurimum Principum ingenium transmutant, immò & pervertunt ac perdunt.

2. *Falsus.*

XVI. Putativum excipit Politicus *falsus*, addo & fallax, qui ut æquior videatur esse in Remp. publicam, proximè iniquus est vel in DEUM, vel in homines. Sensu priore hujusmodi Politici sunt ἀθεοί, si non theoreticè, practicè tamen tales; posteriori Statistæ.

XVII. Athei illi Politicæ reputationi, ceu loquuntur, omninò repugnare putant, si arcana sua revelato verbo Dei conformare debeant, cum Politicus non sit spiritualis. Politicam itaque suam hi Pseudopolitici sensu nefando concipiunt, quasi illa pietati & probitati sit adversa, e' fraudibus & dolis consuta, quæ rideat Ethicæ & Theologiæ monita, & sic ab omni æquitate & pietate alienissima. Lege Politici scelerati c. 2. p. 9. seqq. Ut proinde hanc acceptione cum Dn. Conring. *de Civ. Prud.* C. 2. p. 6. omnis Politicus ἀθεός, & Politica sit peritia, præ utilitate Reip. DEUM religionemq; omnem aspernandi. Nec hoc genus, si Theologiam Ethnicam cum Christiana conferre licet, est novum, sed dudum ante Christum natum jamjam Aristotelis ætate invaluit: nam plerique Politici eò temporis, ut erant vitiosi & imprudentes, ita etiam non magnam pietatis ac Virtutis curam gerebant. Giph. ad l. 1. *Nicom.* c. 13. p. 83.

XVIII. His peraffines sunt illi, qui ad πολυθρύλληρον illud jus dominationis, sive Rationem Status, omnia, fas & nefas, ceu Cynosuram dirigunt, & commodo Reip. unice student. His licita sunt, quæ utilia, illicita, quæ inutilia aut damnosa. Hinc & omnes curas cogitationesque suas huc conferunt, ut statum potentiosem, terminosque ejus ampliores efficiant, quamvis cum aliorum injuria id maxime conjunctum esse videatur. Balthas. Cellarius in *Politico. succinè.* l. 1. c. 1. p. 17.

XIX. E.

XIX. Equidem quid Ratio Status sit, inter eruditos non sa-^{Ratio Status}
tis liquet. Rationem denominationis Latini, fermè ad literam ab^{1. Origo ejus.}
Italibus accepere, quibus ragion di stato, sive rationamento di stato
audit. Et hos Galli, utpote curiosi, omnium æmuli, sunt secuti, par
la raison d'etat, illam salutantes. Lingua Teuronica ex penuria
forsan, vel alia de causa, terminum Rationis status non vertit, sed
verba latinè prolata, retinuit. Et principio terminus ille barbariei
quid sapiebat, nec sine veniæ præfatione eam Critici, & qui ele-
gantia Latini sermonis præ ceteris studebant, allegabant: cum verò
genius seculi nihil secretum esse patitur, Bœcler. *Program. Acad. 2. Progressus.*
27. pag. 136. procedente tempore, usus vocem illam legitimavit.
Vid. *dissert. Dn. Conring. de Ratione Status th. 3.*

XX. Descriptam hanc regnandi sapientiam, si Diis placet, ^{3. Descriptio.}
suisque coloribus depictam si desideras, evolve laudati Bœcleri
Program. Acad. 13. p. 70. ubi non minùs verè quàm eleganter di-
citur larva dominantium; histrionica Aulicorum; Virtutis ludi-
brium; Conscientiæ scopulus; sagera populorum; rete urbium; pa-
cis loligo; armorum ærugo; tabes seculi; mysterium iniquitatis;
tormentum Religionis, NIHIL & OMNIA. Aliter eam defi-^{4. Definitio.}
nit Scipio Amiratus & cum eo Thomafius noster in *dissert. de Ratio-
ne Status th. 4.* aliter Fridricus Bonaventura, Arnoldus Clapmari-
us, Ludovicus Septalius, Conringius, aliter alii. Domi sum man-
surus, & Honoratiss. Dn. Præsidis, in definiendo verbis utens, Ra-
tionem Status nihil aliud esse dico, quàm medium terminum,
quo ad aliquid utile aut decorum in Republica obtinendum, in-
utile verò aut indecorum declinandum utimur. Nulla hinc men-
tio fit honestatis; nam quando hæc apertè alicui negotio favet, à
voce illa Rationis Status, tanquàm notoriè suspecta, consueverunt
abstinere; ejus verò nomine, quæcunque parandi, retinendi, in-
tendendi dominatûs ergo, citra aut contra jus & fas, per vim aut
dolum geruntur, hoc mangoniò publice exponuntur, hoc titulo
in vulgus obtenduntur. B. Bœcler. in *orat. de Ratione status in regn.*
liter. sive fatis literar. nostri temporis. Sed hæc obiter, siquidem in-
stituti nostri non est, hanc *συνυπόμεισιν πολιτικὴν*, quam pruden-
tiam mixtam Lipsius, Extraordinariam Naudæus vocat, ulterius
pertractare. Videantur autores citati. Et iccirco hæc adducere

placuit, ut opinio eorum, qui pro fundamento hoc jus regnati-
vum ponunt, eò facilius removeri queat.

XXI. Sic autem ex plumis dignoscitur Machiavellus, qui
de hoc jure regnandi, animosius, quam par, philosophatur, & pro
pharmaco miscet toxicum, ac in salutem venenum propinat, ar-
tesque iniquas & turpes regimini conservando aut amplificando
suggerit. Non defuere quidem & antehac, qui ita senserunt, qua-
les plurimos refert Conringius de *Civ. Prud.* c. 2. p. 15. 16. illas tamen
artes pessimas, tanquam leges prudentiæ, & rationes bene geren-
dæ justæ alicujus Reipublicæ scriptis tradere, nemo ante Machia-
vellum ausus est. Hic falso sibi persuasit, honestum ab utili reali-
ter separandum, immò hoc si sit evidens, illi præferendum esse:
Quod ex scriptis ejus, inprimis *Principe*, constat, quicquid etiam
dicat Patronus ejus & Civis Jac. Gaddus adversus Antimachia-
vellum. Vitii hujus Wendel. in *Proleg. doctr. Polit.* th. 5. in *Explicat.*
Lipsum etiam accusat, allegans locum 4. *Polit.* 13. ubi Lipsius ita:
Fasne est, ut leviter admisceatur aliquid fraudium; Ego puto: quic-
quid Zenones quidam mihi abnuant, quibus unum illud ad lau-
dem cum virtute directum iter probatur. Vinum vinum esse non
definit, si aqua leviter temperatur, nec prudentia prudentia, si gut-
tula in ea fraudis. Hausit autem hunc errorem sine dubio ex Ma-
chiavello, quippe qui sapiens Hetruriæ κατ' ἐξοχήν apud ipsum.
Exempla recentium sunt odiosa; immo plurimi opere magis quam
ore hanc sententiam exprimunt.

XXII. Ratio verò, quâ infames illæ ex Hetruria artes (sic à
B. Bœcler. in *allegat. oratione* eleganter dictæ) tanquam lubrico fun-
damentò nituntur, est jus absolutum Principis in res & personas;
quod nos sine restrictione ad casum necessitatis & utilitatis non
concedimus. Immo quamvis hæc restrictio adsit, si tamen cum
honestate pugnet, Princeps, quem æque ac subditum honeste vi-
vere decet, commodi potius quam conscientiæ jacturam facere
debet. Id enim ordo bonorum & malorum in Ethica requirit.

XXIII. Neque nos Machiavello largimur, ea quæ sub præ-
textu Rationis status commendat, bona, esse vere utilia. Hone-
stum enim & utile conjungenda, non opponenda sunt, adeò ut in
praxi, si non in theoria, debeamus hîc facere cum Stoicis, nihilque
pro

pro utili, nisi simul sit honestum, habere. Diffidendum quidem non est, quod multa nobis imponant specie utilitatis, ea verò, si paulò accuratius examinentur, revera utilia non sunt, sed apparenter saltem bona, & paulò post majore damno (sunt verba Conringii de *Civ. Prud.* c. 2. p. 11. 12.) læsam ad breve tempus honestatem quasi vindicant. Aliter respondet Magnif. Dn. Zieglerus Ordinarius Wittebergensis in *Prolegom. ad Hug. Grot.* p. 36. 37. qui utile à justo quidem differre statuit, ita ut Politicus, qua talis, utile, Jctus verò, tanquàm sacerdos Justitiæ, justum respiciat: Ne tamen Machiavelli evadamus, & Jcti & Politici officium in uno subjecto concurrere monet. Rectissime proinde mihi videntur statuere illi, qui hinc utilia cum honestis prudenter miscent, & utilium declarationi rationem honestorum, consilio jus, actioni decus adjiciunt. Pauci, ait Tacitus, 4. *Annal.* 33. prudentiâ, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt; plures aliorum eventis docentur. Hæc duo enim secundum Veterum doctrinam, ambitum universæ Prudentiæ civilis exhauriunt. Plura non inelegantia discere ex B. Bœcleri *Inst. Polit. Proëm.* p. 2. & seqq.

XXIV. Sed quid respondebimus ad illud C. Cassii apud Tacitum, l. 4. *annal.* c. 44. quod affectu Machiavelli valde ingeminant: Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Sed compendium responsionis suggerit nobis Apostolus *Rom.* III. 8. ex inspiratione Spiritus Sancti: Non esse facienda mala, ut inde eveniant bona. Videant igitur hi Politici, ne dum terram defendunt, Cælum amittant; ut illud Demadis apud Valer. Maxim. l. 7. c. 2. *Extern.* 10. invertamus & adversus eos stringamus.

XXV. Minus recte etiam ἀντιλογία inter sacram & profanam paginam hi statuunt, cum pietas & Religio, præcipue Christiana, sit Rerum publicarum omnium basis ac fundamentum, quippe quæ summò studiò inculcat metum Superioris, & simul concordiam sive fraternam charitatem. Imò nihil, inquit Grotius l. 2. de *J. B. & P.* c. 20. §. 49. est in disciplina Christiana, quod humanæ societati noceat, immò nihil quod non prosit. Recte verò his verbis inserit Grotius hanc limitationem, quod Religionem Christianam hinc per se consideret, non quatenus ei insincerum aliquid ad-

miscetur. Nostra enim, quæ Lutherana dicitur, cum & hoc loco emineat, tanquam unice sincera, reliquæ Christianorum professiones Rempubl. tantum licito modo juvant, quatenus in catholicis dogmatibus de potestate Magistratus & obedientia subditorum nobiscum consentiunt: quod refero historiolum illam, quam ex Renato de Lusinga Christianus Besoldus in *Synops. Polit. l. 2. c. 2.* recitat. Postquam Patres societatis Jesu (si eos sic κατ' ἀντιφρασιν appellare licet) Indiæ regiones nuper repertas perlustrassent, Principem ibi quendam ejus regionis invenere prudentem & providum. Hic cum simplicitatem Christianæ Religionis degustasset, etsi in consveta sua Idololatria firmiter persisteret: attamen Subditis suis, ut fidem Christianam amplecterentur, permisit. Ea scilicet intentione, fore ut tributa & vectigalia, aliaque onera civilia, sine contradictione sint numeraturi subiturique, si Christianæ vitæ regulas diligenter observarent. Longe aliter dubio procul se gessisset, si regulas Anti-Christianas, quas proprias possident, de potestate Papæ in omnes Reges, &c. ipsi proposuissent.

XXVI. Pietas autem & justitia, si regna conservant, uti conservant, sanè ex opposito atheismus, impietas ea dissolvit: sicut propter injustitiam regna de gente in gentem transferuntur. Quod ipsum & in Machiavello eventus comprobavit, qui Cæsarem suum Borgiam, cui erat à secretis, rebus & potentiâ omnium maxime vigentem, pessum dedit.

XXVII. Tandem de falso Politico & hoc monemus, mirandum omninò cum Bæclero esse, etiam magnos Viros nonnumquam hinc in seqviora abreptos fuisse. Ocreati itaq; inter spinas incedere debemus. Vid. Jo. Ang. Werdenhaagen *Introd. univers. in omnes Resp. c. 2. q. 11 & q. 13. c. 10. q. 1.* Conring. in *tot. tract. de Civili Prudentia*, potissimum autem *c. 2. p. 18. seqq.* qui decem genera sive modos Politicorum ex parte sceleratorum proponit: Et eundem in *Propolitico*. & in *tot. tract. de Ratione status*, item in *notis ad Machiavelli Principem* aliosq;.

3. *Vernis.*

XXVIII. Succedit tandem Politicus *Verus* sive *Bonus*, quem Architectonicum quoq; quidam appellant. Hic autem aliter in Statu recto, aliter in corrupto est considerandus. Ibi, quia ad imaginem divinam creati eramus, liberrimi & Protoplasti nostri

pote-

poterant non peccare, Politicus extitisset nullus Callicrates, sive homo callidus & ad fraudem acutus sine ulla religione ac fide, nullus putativus, sed semper ille moraliter fuisset optimus. Verum hodie, eheu! nusquam ille, nisi in Utopia residet. Iccirco hodie etiam in Bono Politico ad leviora & minora errata, sicut & in aliis connivere oportet. Multa enim, quæ in statu recto essent pessima, hodie censentur & habentur aliquatenus bona. V. G. Quæstio illa: num una tantum sit toleranda Religio? in statu naturali omnino esset affirmanda, quid! supervacua. Sed hodie in Imperio nostro contrarium obtinet, & sanctione publicâ Pragmatica etiam, in Pace Monasteriensi & Osnabrugensi aliisque Legibus fundamentalibus, tres à se invicem maximè discrepantes Religiones, sicut ante hac à tempore conditæ pacis Religiosæ A. 1555. duæ, autoritate publicâ libero exercitio fruuntur. Quapropter Politicum illò quidem sensu, & secundum statum naturalem ac essentiam suam de finiemus, ductuq; definitionis ulterius usq; ad dissertationis finem progrediemur; si verò quædam inferemus, quæ in statu naturali non occurrerent, ad Legalem statum illa directè, & ad nostram tractationem tantum obliq; pertinebunt.

XXIX. Politicus igitur erit Civis Virtute præditus, doctrinæ, & experientiâ instructus, εὐδαμονία & ἀντιθέσιας Reipublicæ promovens. Politici definitio.

XXX. Genus Politici constituimus Civem, in quo formando occupatur Politica; sed hæc socias operas petit ab Ethica. Non enim quivis Civis Politicum nostrum exhaurit, sed ille demum qui Virtuti dat operam. Hinc Civem virtute præditum in definitione requirimus. Politicus nimirum maximè anniti debet, ut Cives reddat Viros bonos, id est virtute præditos & Legibus obediētes, ait Aristoteles l. 1. Nic. c. 13. Quod tamen ne utiquam perficiet, nisi prius ipse sit virtuosus; nam qui se ipsum regere non potest, quomodo alios reget, arg. § 13. J. de Excus. Tut.

XXXI. Quum autem diversissima aliàs actio sit intellectus & Voluntatis quoad moraliter mala, quia ille exactissimam horum notitiam sine omni culpa vel ipsius DEI Exemplò, habere, hæc autem ne minimum quidem eorum sine peccato velle potest; id & hoc loco contingit. Politicus enim noster, cum vitia, tum vitio.

viciosos, modò ipse sit virtuosus, suo jure nosse potest, imò debet nimirum ut illa prohibeat, & hospuniat.

XXXII. Rem simili declarabo. Quippe sicuti Medicus eorum debet habere notitiam, quæ corpori humano nocent, ut venena, febres malignas etc. quibus perspectis, morbis facili negotio med. bitur: Ita etiam Politicum non ignorare decet ea, quæ Resp. corrumpunt, aut quò minùs conseryentur & ampl. ficentur, impedimento sunt; inter quæ ab iis, qui rem rectè æstimare norunt, vitia moralia primo loco consistunt. Sed quemadmodum Medicorum nullus mala illa svadere, aut viam modumq; sanitatem corrumpendi invenire aut monstrare debet; haut secus nullus Politicus sub prætextu Rationis status & publici emolumenti laudare, moliri, facere, promovere, jubere debet ea, quæ cursum honestatis non minus ac fortunæ in civitate impediunt aut sistunt.

XXXIII. Dùm dixi, Civem Virtute præditum, non excludo Civilitatem morum, quod Politicus sit politus, urbanus, moribus excultus; nam & hæc inter Virtutes Homileticas locum invenit. Præclare Seneca: Esto sermone affabilis, accessuq; facilis: vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis: æquis desideriis propensus: nec iniquis acerbus. Et alibi: Faciet sapiens (per quem Dn. Conring. de Civ. Prud. c. 1. p. 5. Politicum intelligit,) etiam, quæ non probabit, sed ut ad majora transitum inveniat nec relinquat bonos mores, sed tempori aptabit, & quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur agendæ rei causa. Plura ex Politico Putativo in præcedentibus transumi possunt.

XXXIV. Hæc verò notitia, cum in intellectu sit, commodè ab ea transimus ad doctrinam rerum civilium, quam & in eodem requirimus, & Viro Politico in definitione propriam facimus. Neq; nobis obstat, quod de Philippo Cominæo passim circumfertur, quasi ille doctrinam caruerit, Politicum tamen nihilominus insignem planeq; eximium repræsentaverit; Ingenii quippe vis quandoq; supplet, quod doctrina negat. Ad hoc tamen divinum fermè ingenium requiritur. Semper enim in eo, qui Politicis negotiis est admovendus, promptitudinem inveniendi, judicandi, & memorandi illa, quæ ad negotia civilia pertinent, excellentem oportet esse.

Con-

Conring. de Civ. Prud. C. 131. Pertinet huc ex Aristotele ἀρχινοία
L. 1. poster. Anal. cap. ult. σούσις, Nicom. VI. 10. δεινότης, ib. c. 12.

XXXV. Hâc jam suppositâ, usus sive experientia, quâ
quis res vel ipse gessit varias, vel ab aliis gestas vidit sive observa-
vit, Politicum non tam constituet, quàm consummabit. Cujus &
in definitione th. 29. jamjam mentionem injecimus. Nascitur
hinc Prudentia, oculus, ut verum fatear, Politici, quô omnia per-
videt, atque perlustrat. Immo, instar Jani bifrontis & ad suam &
alias Respublicas respicere sic valet Politicus, & in succum & san-
guinem omnia convertere. Confer Bœcler. diff. Polit. 20. th. 4.

XXXVI. Ministrat huic cognitio Historiæ. Hac viâ agno-
scit Politicus discrimen inter ea, quæ vel simpliciter humano ge-
neri, vel huic civitati utilia sunt aut damnosa; qua in re cardo
commodi publici vertitur. Ex eadem causa peregrinationes quo-
que, quibus hominum mores, instituta & leges variæ cognoscun-
tur, conversationem & congressus cum Viris eruditis Politicus a-
mabit, denique præcepta ex hisce conflata diligenter observabit.
Vid. Giphani in Polit. Arist. Prolegom. p. 7. & Frider. Wendel. Inst.
Polit. Proleg. th. 2. in Explic.

XXXVII. Hisce igitur optimè imbutus, officio suo Politi-
cus rectissimè defungetur. Quod in genere est ὀδαιοῦναι & ἀ-
γαθῆναι Reip. promovere; quæ verba definitionem nostram
claudunt. Virum in hunc modum immo Heroëm se præstabit in
Republica regenda eaque vel primùm instituenda, vel post cor-
rigenda aut conservanda. Conring. de Civ. prud. c. 1. p. 2. ubi semper
Politicus pro scopo consiliorum suorum salutem publicam, san-
ctam tamen sensu, supremam legem habebit. Ii enim demùm Politici
cognomentum merentur, qui Reipublicæ & per consequens hu-
mano generi, optimè consulunt.

XXXVIII. Hoc ut eò feliciter procedat, à Deo ordiendum
erit. Impietatem autem scelerati politici cum nos castigavimus
superiùs in præstüm Censor ejus in refut. planè pleneque ad Or-
cum remisit. Ergò potissimum ejus officium erit circa Reli-
gionem cultumque Dei, ut hic verè colatur, non simulatè.
Quæstio autem Domitiana est omnique dubiò carens, quæ

C

quæ-



quæritur, num aliquando à vera Religione liceat discedere? quod omninò negandum.

XXXIX. Deinde partes Politici quoque erunt, providere omnibus modis, ut Leges salutares ferantur, & latæ post usu ipso confirmantur, nec facile, nisi ubi evidens utilitas adsit, abrogentur. *l. 2. ff. de Constit. Princip.* Sive enim Resp. sit adhuc constituenda, sive jam constituta, in Legibus salutaribus tota ejus salus consistit. Et hæc est ratio vera & genuina quam dant de Rep. Veneta, quare tamdiu salva & incolumis steterit, & fatalem periodum bis & ultra superaverit. Vid. Forstner. *in Not. Polit. ad Tacit. Annal. p. 355. & p. 424.*

XL. Magistratus quoque prudentes, jus & justitiam secundum leges præscriptas, duras etiam si *l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manum.* administrantes ut constituentur, & ad quem modum in Rep. administratio per varios Magistratus instituat, curare Politici est.

XLI. In defectu igitur Politicus ne peccet, cavebit; excessum tamen etiam vitabit, ne in Rep. omnia nimis rigide tractet. Nimius enim rigor Civitatem non minus ac cives singulos immittit ac ad extremum plane perimit & extinguit. Sicut & aliàs diligentiam nimiam aut miseram, nimiaque contentione etiam benecepta corrumpuntur. *Allzuscharff machet schärtig.* Repete & applica distinctionem Status recti & aberrantis in *th. 28. propositam.* Specialiora cum apud alios, tum in ipso Aristotele *4. Polit. c. 1. &* ex Commentatoribus præ aliis in *Piccato p. 516. vide.*

XLII. Exemplum autem, immo exemplar hujusmodi Politici potest examussum esse Dux Israelitarum, Moses ille πολιτικός, cujus *ἡγεμονία* inter omnes Resp. summò jure primas tenet. Et ideo vel maxime ille commendari meretur, tum quia ejus gens, gentium, disciplinarum, artium omnium mater, tum quia ante legem Mosis Exemplar operis politici literis traditum non extitit, tum quia S. S. est insertum. Est enim omnino (sunt verba Boecler. *diss. Polit. proem. p. 305. 306.*) tota doctrina civilis, quatenus ad vitam socialem, bene beateque degendam refertur, accurate in Scriptura utriusque testamenti & copiose tradita. Id quod adeo verum & observatu dignum est, ut Ecclesiastici scri-

ptores

ptores non nulli monstrent, Ethnicos autores, quicquid in philo-
sophia, præsertim Practica, boni habent, ex S. literis transcriptum
esse. Sed ut ad Mosen redeam, quàm egregie ornateque Remp.
suam formavit, quàm feliciter eam continuavit, quàm conside-
rate eam à vitiis repurgavit atque correxit; proh DEUM im-
mortalem! quas voces protervas à populo, Proceribus, Fratre
Aarone & Sorore audivit, immo lapides imminere vidit; quoties
rebellioni obstitit; quos tumultus à populo summe ingrato,
quem ex Ægypto eduxit, excitatos, prudentiâ sua, sed & divino
auxilio, repressit. Moses ille in adversis fortis, tristis, in man-
suetudine constans, usque eò amans suorum, ut Dei iram vel
hâc voce sedaret: Dele me de libro vitæ potius quàm ut hos
tollas, Exod. XXXII. 32. Lipsii Polit. l. 1. c. 12.

XLIII. Nostrum est, rogare Deum Opt. Max. ut hujus
similes, quantum fert imbecillitas hujus vitæ, largiri nobis velit,
quo Respublicas, etsi non Theocraticas, à Deo tamen penden-
tes, ad placitum ejus instituant, regent, conservent.

COROLLARIUM.

AN liceat Viro Politico dona seu munera accipere? Mosen si
quæras, negativam audies, contra, si Vergilium 7. *Aneid.*
vers. 261. affirmativam. Quos conciliatos vide apud DN. M. JO.
Theilen / in Progr. 375. Præceptorem meum quondam fidelissi-
mum. Distinguo enim cum ipso inter δωροφάγαν & δωρολη-
ψίαν; illa, non hæc prohibetur. Præclare Ictus in l. 1. s. 5. de ex-
traord. cognit. distinguit inter captare & capere munera.

Multa, dicit, honeste accipiuntur, quæ ta-
men inhoneste petuntur.

Hæc in Honorem Dei.



Priscos restituis mores de Cive Polito,
Sic tibi restituet prospera quæque Deus

A. E. CARPZOV D. & P. P.

C 2

Qv

Qui cupit aurarum Themidos peragrare facellum,
Politices sacram præferat ille notam.

Hoc TU cum facias dubium non impedit ullum,

Quin operis quondam præmia digna feras.

Grator & idcirco votisque precantibus instans

Opto TIBI plures hoc in honore vices.

lubens meritoque Politissimo D^m. Respon-
denti f.

JOH. CASPAR Pflaume / Phil. & J. U. D.

Stat, nixus virtute Tuus, GOERNERB, Statista:

Qui ruit in vitium, cum vitio ipse ruit.

Gratulab. ex animo f.

DISPUTATIONIS PRÆSES.

Recht so! daß Er/ gelehrter Freund
Aus Finsterwald reist nach den hellen Zinnen/

Wo Pallas leucht umb ihre Dryadinnen/

Und auf dem Helikon/

(Wie soll ein Themis-Sohn)

Astræen mit dem Stagiriten paaret:

Wohl! wer so hiervoor bricht/

In klugen Themis Licht:

Die Götter/die hierzu Ihm vorgeschienen/

Bersprechen Ihren Schutz/

Und bieten Momen Trus.

Sein **U R P Z O W** hat Ihn kaum auf seiner Bühnen

Als Rechgelehrte gestellt/

Bon unsers **A E B E R E S** flugen Lippen

Heut rühmlich wird gefällt

Ein gleiches auf der Fleiß-Sophien-Klippen.

Glück zu! das heilige Licht/

Das ihm die Dürsterkeit so gar verheinet/

Berschaffe/daß man von Ihm spricht:

Ein Musen-Licht aus Finsterwalde scheint.

Seinem werth-geschätzten Freunde zu Ehren
schriebs wohlmeiend

M. NATHANIEL MYLIUS, SS, Th. Stud.



ULB Halle


3


005 803 373



1077







B.I.G.

Farbkarte #13

1675, 2

Q. D. B. V.

POLITICUS,

Quem

Inclutæ Facultatis Philosophicæ autoritate,

SUB CURA

VIRI

Admodum Reverendi, Excellentissimiq;

DOMINI

L. VALENTINI ALBERTI

SS. Theologiæ P. P. Extraordinarii, Logicæ

ac Metaphysicæ Ordinarii, & Collegii B. Mariæ

Virginis Collegiati, de omnibus optumè

merentissimi,

Domini Patroni & Præceptoris sui

filiæ observantiâ colendi,

sistet

GEORGIUS AUGUSTUS

Görner / Finstervald. Lusatus,

Philos. & J. U. Studiosus

AUTOR & RESP.

d. VIII. Maji, Annò M. DC. LXXV.

Horâ locòqve consvetò.

LIPSIÆ,

Stannò COLERIANO.

1675